3

ROMA
REPETITA

SVB PONTIFICATV

INNOCENTII X.
PONT. MAX.

AD

EMINENTISSIMVM
PRINCIPEM

ALOYSIVM
CAPPONIVM

S. R. E. CARDINALEM &c.

ROMAE, Typis Vitalis Mascardi, Anno MDCLII.
SVPERIORVM PERMISSV.

ROMA
REPETITA
AD
EMINENTISSIMVM PRINCIPEM
ALOYSIVM
CAPPONIVM
S. R. E. CARDINALEM &c.

ERgo iterum læti aspicimus Patremque verendum
CAPPONIVM que senem cuius nec gloria, laudem,
Nec titulos vox vlla capit, quo sospite gaudet
Laurenti templum, qui verba extrema Tonantis,
Et secreta tenet, qui nunc spectabilis aris
Soluit vota DEO, & celso iuratus Olympo
Aethereum sustentat onus. Venerande Sacerdos
Non abeundi equidem veniam petijsse fatemur,
Nec fuit ingrati hoc animi, sed me mea Mater
Fecerat à Domina tacitum decedere Roma,
At nec ego inficior (conuerso ignoscat Olympus)
Me simulasse fidem, atque ideò nunc ipse reuertor,
Vt fidei manifesta meæ cognoscere possis

 Signa,

Signa, nec & sacras me falsum accedere ad aras
Testor ad hoc superos, & te sanctissima Virgo
Humanæ Mater spes indubitata salutis.
Sic tua, virtutum cultrix mihi semper imago
Hæserat ante oculos, quoties me nocte iacentem
Turbauit vigilem, sed enim mihi causa malorum.
Lurida pestiferæ fuerat contagio turbæ.
Tu mihi Capponi, vitæ melioris origo es,
Plus vita quàm voce docens, tu nempe dedisti
Et stimulos dubiæ menti. Sic vera sequebar
Matre DEI monstrante viam. tibi præmia reddat
Debita, qui cœlum credentibus offert.
Sic tibi conuersi debetur gloria vatis
Nanque fatebor enim mihi tu pars magna fuisti,
Vt nunc Romanæ obseruem præcepta Cathedræ.
Tu mihi da veniam, decus indelebile cœtus
Purpurei, æterno ò pridem dignissime cœlo
Nec tua nunc vitiis albescunt tempora primis.
Te pietas teneris Domino sacrauit ab annis,
Namque olim cum tu pueris immixtus agebas
Tunc istos illa ipsa tibi promisit honores,
Quos geris & sacro cunabula mersit in ostro,
Fasciaque erubuit paruis circundata membris:
Hæc dicens, veteris templum Cathedrale Rauennæ
Te iam rectorem expectat, geret inscia fraudis
Dextra pedum, pastorque gregis, tutorque præibis,
Et columen, ductorque tuo. vis omnibus esse
Exemplo, quantumque alijs præcellis honore,
Præferri virtute cupis, sic lege tenentur
Omnia, sic sacris populus parere magistris
Gaudet, & ex magnis sumunt præcepta minores,
Et tua sic cœlo nota est pietasque fidesque
Vt cum diuinæ cantas solemnia Missæ
Ipse chorus Cherubinorum Seraphinaque late
Agmina adorandi stent circum altaria sacri,
Aligerique tremant diuina ad verba ministri
Quæ commissa tibi, namque hinc stupet ætheris alti

Miltiia

Militia atque horret, pauidosque à lumine vultus
Abdit prona suos, & quod non cernit honorat
Sic seruis Veneranda D E O, sic Numine plenus
Imbibis æthereas mortali in pectore curas
Vt cœlo placeas, nam nunc fastigia rerum
Transcendis gradibusque vehit te gloria magnis,
Atque infert sapientum adytis, procul exulat omnis
Barbaries, moresque pios Tu sanctior vrges.
Plura quidem fari vellem, sed pondere magno
Obruor, immensæque absorbent carmina laudes.
Spiritus accensam meliori numine mentem
Exagitat, Tu Magne audi, nam Vatibus olim
Fas fuit affari superos, sceptrisque potentum.
Et formidatis quamuis placuere Tiaris:
Carmina, Tu nostris aurem concede Camœnis.
Purpura sic Latijs tua plus effulgeat vndis.
Et tu Sancta Parens ceu vis Ecclesia dici,
Ceu superum veneranda Domus, Respublica magni
Intemerata D E I, venturaque Numinis Heres,
Et consors Regina Poli perque aspera tandem
Aeternis cœli genitrix seruanda triumphis
Accipe me, ne vana fides sub imagine veri
Attrahat, & peregrina vager per dogmata demens
Vt leuis instabilem rotet inconstantia mentem
Borbonias arces, & Gallica Regna relinquens,
Et terras, Brabante, tuas vbi pinguia Schaldis
Arua Pater secat, & Mauortia mœnia lambit
Constiteram in Batauis vbi nunc Cyllenius vrbi
Præsidet intentæ lucris, atque omnibus vndis
Naturæ dispertit opes, & munera solers
Colligit, & totum mittit gestanda per Orbem.
Hic emitur quicquid rerum est quocumque sub axe,
Hic orbis venalis erit si sufficit emptor,
Sic ea gens leuitate animi pia sacra profanat,
Et fastiditi leges contempsit Olympi
Corrupit sacros hic praua licentia mores
Neglexitque Deum, nec in vllis ædibus aras

 Con-

Constituit, namque hæc grauis ignorantia multis
Incubat, & nostri nescit mysteria sacri
Turba addicta auro. sic sese hic subdolus error
Ingerit & diri vendunt mendacia vates,
Nec dubitat seducta fides hic credere falsis
Testibus, impuram det vt impostoribus aurem.
Tum Pietas cœli soboles gestuque manuque
Succurentis habens speciem, mihi se obtulit vltro
Ad talos vsque illa fuit circundata pallam,
Infula cui prisco frontem velabat amictu
Hæc dicens submissè, iterum pete maxima Romæ
Mœnia quæ placuere Tibi, cum illius amore
Implesti flagrantem animum, & si frigore duræ
Obstet Hyems, altosque vetet conscendere montes;
Ipsa ego te per dura locorum inimicaque ducam
Transtra manu præsensque adero, dum Augusta subibis
Limina, & auratis fulgentia tecta tapetis,
Æternamque Vrbem, cuius nunc dicitur omni
Fama loco, sed ibi & sacræ cultoribus ædes,
Et populis delubra patent, & cuncta Tonantem
Templa sonant, ibi Relligio (quæ profuga mundo
Petrarum occultis latebris afflicta iacebat,
Assolet vt Miluo circumuolitante Columba,
Cum Nero crudelis latitanti aliusue tyrannus
Ferra ferox, flammasque acres intentat & illi,
Atque vncos, & flagra parat) manifestior Orbi
Cernitur, aspice nunc quales in fronte coronæ
Matris opus, namque ipsa suo diademata nato
Imposuit, sceptrumque dedit, sic laudibus æther
Personat immensis, & visa Ecclesia mundo
Pulchra decensque fuit, sic pura vbicunque relucet
Simplicitas, sed quæ se maiestate tuetur,
Neue ea terrenis Vrbs cœlo dedita, nixa est
Auxilijs, solo sed te custode triumphat
Nate Deo. vnius iurare in verba magistri
Est satis, atque vno causam ductore tueri,
Qui facit excubias, namque illo vindice semper

Incon-

Inconcussa stetit Pietas, spectataque terris
Maiestas veneranda Dei, sic sacra Potestas
Emicat, & gemino Princeps qui præsidet Orbi
Iura tenet, vel cum studijs aduersa malignis
In nos agmina agens diri dominator Auerni,
Arietat in fidei portas, & dura minatur.
Sic Romæ conuexa fauent, superumque fauori
Consociat se terra parens. sic falsa notatur
Relligio sola illa placet, quam candor & insons
Commendat pietatis amor; fœcunda bonorum
Exigitur non pigra fides oppressa veterno.
Sic iterum ipse redux post tot discrimina rerum,
Et septemgeminos video nunc maxima montes
Roma tuos, vbi tu totum circumspicis Orbem,
Per varios errans hic Petri Cymbula casus
Scyllæos inter scopulos sæuamque Charybdim,
Rectum seruat iter, dum tanta in turbine Christus
Pro Polluce micat, semper pro Castore fulget:
Cernis adorandum populis Caput omnibus vnum,
Ergo age, mens, sacrum supplex venerare parentem,
Oscula fige pedi, vt vestigia pronus adorem.
Claudere cœlestes, etenim ius huic datur vni,
Et reserare fores, hic est venerabile cœli
Depositum, cui supremas sapientia curas
Alternasque vices rerum, verique reclusit
Arcanos æterna sinus, hic cultor honesti
Præuia diuini capit argumenta fauoris,
Ostentatque Deum terris sanctique senatus
Maximus est, sacræ quem deuouere Columbæ,
Et cœleste Deo flamen, cunctosque per actus
Vis diuina micat, numenque agnoscitur Orbi.
Nullius Imperio stabit frænata potestas,
Arbitrijque modus summo namque ille Tonante
Dum minor est, vni sceptrum submittit Olympo
Auctori tantorum operum, dedit ille sacrorum
Iura ipsi vt circumpendentibus infula vittis
Exornet gemmata caput, triplicemque coronam,

Insu-

Insuper adiunxit. sic hæc adamantina vis est
Certaque Euangelicis innixa potentia verbis,
Atque hic nostra fides quamuis non vulnera Christi
Aspiciat primo gaudet se credere templo.
Hic caput imperij est, ò Christe hic vota tuorum
Excipis, & quamuis celsa in regione locatus
Afflictæ tamen vsque cupis miserescere Sponsæ,
Natorumque tuæ, & fractas formidine mentes:
Hic afflas propiore Deo, populoque benignum
Clauigerum cœli monstras. summa illa potestas,
Nunc est Pamphilio, quoniam si numina spernat
Impietas, & sacra Deorum hic vindice pœna
Exigit officium. si credulus occupet error
Incautum meliora docet, sic vera monenti
Submittit sua sensa fides, sic tuta perennat
Regia quam fulcit Pietas, & conscius horror
Numinis, & timido supplex reuerentia vultu.
Fœlix imperij facies quam prima tuetur
Relligio, quæ consilijs inimica profanis
Nil nisi sacra probat, veterisque à moribus æui,
Officij præcepta capit fideique tenorem.
Hæc nunc cura tua est, vocat hinc, te Roma parentem
Osque sacrum colit, & sculpto veneratur in auro.
Nonne vides, quoties magna stipante caterua
Ingrederis, tibi tot populos, tot, Maxime, gentes,
Tot patres, matresque loqui prosperrima nutu,
Tu visu exhilaras omnes, ceu nubila Solem,
Cum rapiunt atraque latet caligine Cœlum,
Tota gemit natura, & tristi conditur vmbra,
Sic tua Roma dolet cum non datur ora tueri
Pamphilii, cunctis sidus qui fulget amicum.
Aspice namque illum, nil est in fronte cruentum,
Nil crudele, minax, cunctis clementia membris
Emicat elucetque procul, blandoque potestas,
Nixa supercilio. scis, & hic pietate probari
Sceptra, nec hæc vnquam magis inconcussa teneri,
Quam superum cœlique metu, plus surgere gentes,

Sub

Sub rectore pio, & domino parere libenter
Cui curæ est parere Deo; tunc omnia quemquam
Ferre suis postquam constat reuerentia sacris.
Hinc tu, fide vigil, terramque applausibus imples
Quæ laudis mensura tuæ est cœlumque mereris.
Solis ad exemplum toti qui lumina mundo
Diuidit ignarusque sui communia curat
Commoda; Sancte Pater cunctis es gentibus idem;
At tua quæ populo auxilium præbere benignum
Gestit blanda manus quandoque & fulmina portat,
Et se terribilem monstrat. tu maxima vasto
Anchora in Oceano stabis, cum turbida ponto
Surget hyems tristesque frement immane procellæ
Ad tua confugiet tum demum oracula discors
Concilium, quoties sententia dissidet ipsis
Iudicibus venies iudex. tu regna potentum
Discordesque animos concordi pace ligasti
Compositique Italum proceres causæque Quiritum
Te duce sunt iterum. non vllo gloria facto
Emicuit tua splendidius, tu magna laboris
Cernere das monumenta tui. fastigia cœlo
Æmula iamque tibi debent delubra laresque
Tectaque cœlicolum, turres, prætoria, portus,
Et quicquid passim meliori fulget amictu.
Iam sua Pyramidum Romæ miracula Memphis
Cernit, & irriguum pleno de gurgite fontem
PAMPHILII cunctis opus admirabile sæclis.
Templa ruunt antiqua Deum; tu Magne ruinis
Consulis & renouas solers Lateranaque templa
Atque Ædem ædificas, cuius de limine sacro
Dogmata facundi fundunt cœlestia patres.
Sed Tu CAPPONI quem quondam Roma verendis
Inseruit Latij Patribus tibi, maxime Præsul,
Deuotam sacrabo animam. Sanctissima primum
Te amplexa est pietas vltrò sacrisque tuorum
Imbuit, & cœtu distinxit Diua profano,
Admouitque DEO propius, cœlo inde vacabat

Mens

Insuper adiunxit. sic hæc adamantina vis est
Certaque Euangelicis innixa potentia verbis,
Atque hic nostra fides quamuis non vulnera Christi
Aspiciat primo gaudet se credere templo.
Hic caput imperij est, ò Christe hic vota tuorum
Excipis, & quamuis celsa in regione locatus
Afflictæ tamen vsque cupis miserescere Sponsæ,
Natorumque tuæ, & fractas formidine mentes
Hic afflas propiore Deo, populoque benignum
Clauigerum cœli monstras. summa illa potestas,
Nunc est PAMPHILIO, quoniam si numina spernat
Impietas, & sacra Deorum hic vindice pœna
Exigit officium. si credulus occupet error
Incautum meliora docet, sic vera monenti
Submittit sua sensa fides, sic tuta perennat
Regia quam fulcit Pietas, & conscius horror
Numinis, & timido supplex reuerentia vultu.
Fœlix imperij facies quam prima tuetur
Relligio, quæ consilijs inimica profanis
Nil nisi sacra probat, veterisque à moribus æui,
Officij præcepta capit fideique tenorem.
Hæc nunc cura tua est, vocat hinc, te Roma parentem
Osque sacrum colit, & sculpto veneratur in auro.
Nonne vides, quoties magna stipante caterua
Ingrederis, tibi tot populos, tot, Maxime, gentes,
Tot patres, matresque loqui prosperrima nutu,
Tu visu exhilaras omnes, ceu nubila Solem,
Cum rapiunt atraque latet caligine Cœlum,
Tota gemit natura, & tristi conditur vmbra,
Sic tua Roma dolet cum non datur ora tueri
PAMPHILII, cunctis sidus qui fulget amicum.
Aspice namque illum, nil est in fronte cruentum,
Nil crudele, minax, cunctis clementia membris
Emicat elucetque procul, blandoque potestas,
Nixa supercilio. scit, & hic pietate probari
Sceptra, nec hæc vnquam magis inconcussa teneri,
Quam superum cœlique metu, plus surgere gentes,

Sub rectore pio, & domino parere libenter
Cui curæ eſt parere Deo, tunc omnia quemquam
Ferre ſuis poſtquam conſtat reuerentia ſacris.
Hinc tu, fide vigil, terramque applauſibus imples
Quæ laudis menſura tuæ eſt cœlumque mereris.
Solis ad exemplum toti qui lumina mundo
Diuidit ignaruſque ſui communia curat
Commoda, Sancte Pater cunctis es gentibus idem:
At tua quæ populo auxilium præbere benignum
Geſtit blanda manus quandoque & fulmina portat,
Et ſe terribilem monſtrat. tu maxima vaſto
Anchora in Oceano ſtabis, cum turbida ponto
Surget hyems triſteſque frement immane procellæ
Ad tua confugiet tum demum oracula diſcors
Concilium, quoties ſententia diſſidet ipſis
Iudicibus venies iudex. tu regna potentum
Diſcordeſque animos concordi pace ligaſti
Compoſitique Italum proceres cauſæque Quiritum
Te duce ſunt iterum. non vllo gloria facto
Emicuit tua ſplendidius, tu magna laboris
Cernere das monumenta tui. faſtigia cœlo
Æmula iamque tibi debent delubra lareſque
Tectaque cœlicolum, turres, prætoria, portus,
Et quicquid paſſim meliori fulget amictu.
Iam ſua Pyramidum Romæ miracula Memphis
Cernit, & irriguum pleno de gurgite fontem
PAMPHILII cunctis opus admirabile ſæclis.
Templa ruunt antiqua Deum; tu Magne ruinis
Conſulis & renouas ſolers Lateranaque templa
Atque Ædem ædificas, cuius de limine ſacro
Dogmata facundi fundunt cœleſtia patres.
Sed Tu CAPPONI quem quondam Roma verendis
Inſeruit Latij Patribus tibi, maxime Præſul,
Deuotam ſacrabo animam. Sanctiſſima primum
Te amplexa eſt pietas vltrò ſacriſque tuorum
Imbuit, & cœtu diſtinxit Diua profano,
Admouitque DEO propius, cœlo inde vacabat

Mens

Mens aduersa fulo mundoque inimica florenti
Spreuit auaritiam, scelerataque numina sequens.
Relligionis amor, mundo quæ magna putantur,
Edomuit cœli studium, sic certus Olympum
Sollicitas, poscisque DEVM vocesque disertas
Intendis supplex illi, promissaque Christi
Asseris intrepidus, sic se mens inclyta curis
Applicat æthereis, hinc tu pretiumque laboris
Grande feres, celsique intrabis limina cœli,
Aeternumque canes nubes, & sidera supra.
Cœlestes inter choreas & gaudia mixtus,
Emeritum superis animum cœloque redonans.

R. Anto.